Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

Cogitaciones autem que ad fornicacionem
iterum compellebant me: quomodo tibi enar
rare possum? Abba ignosce. Ignis intus
infelix corpus meum nimius succendebat.
et totam me penitus exurebat. et ad desi
derium mixtionis trahebat. Dum ergo
mihi talis ascenderet cogitacio: prosterne
bam me ipsam in terram. et lacrimis terram
infundens. ipsam vere mihi astantem
videbam: que me fideiussit, minantem
mihi in compellacione quasi prevaricantem. et penas
prevaricacionis mihi imminentis. ira mucro
nis contra me agentem. Non autem ante
surgebam de terra. nisi illa dulcissima lux
illuminaret me solito. et cogitaciones
perturbantes me effugaret. Semper itaque
cordis mei oculos ad illam fideiussorem
meam sine cessacione erigebam. deprecans
eam auxiliari mihi in hac solitudine: et pe
nitenciam habui adiutricem et cooperatricem
ipsamque genuit castitatis auctorem: et
sic decem et septem annorum curriculum per
iculis multis ut dixi reluctans: usque
hodie adiutorium meum dei genitrix michi
assistit virgo. per omnia et in omnibus me di
rigens. Dixit autem Zosimas. Non exhi
buisti cibum aut vestimentum? Et illa
dixit. Panes quidem illos sicut iam dixi
expendens per decem et vii annos: deinceps
nutriebar herbis que inveniebantur per
solitudinem. Indumentum autem quod habui
in transmeatu iordanis: nimia vetustate
scissum et consumptum est. Multam
ergo glaciali frigore estus ardore ne
cessitate sustinui. concremata estus in
cendio. et nimio corpore gelu rigescens. et
tremens. multociens in terram cadens
absque spiritu iacebam immobilis: multis
et diversis necessitatibus et temptacionibus
immensis reluctans. ab illo et usque in hac

diem virtus dei multis modis mise
ram animam meam et corpus custodivit.
Recordans enim de qualibus malis
liberavit me dominus: esca enim cor incon
sumabili. et sacietatis possideo epulas
spes salutis mee. Nutrior autem et coope
rior tegmine verbi dei: qui continet
omnia. Non enim in solo pane vivit homo.
et non habentes operimentum petre circum
date sunt tegmine. hi qui peccati se
expoliaverunt tunicam. Audiens autem
Zosimas quod scripturarum testimonia
proferebat. ex moysi videlicet libris et bea
tissimi iob seu psalmorum: dixit ad eam
Psalmos o mater didicisti. vel alios li
bros scripture sancte legisti? Illa autem hoc
audiens. subridens dixit ad eum. Crede mihi
non vidi hominem ex quo iordanem transivi
nisi te hodie: sed neque feram aut aliud quod
cumque animal ex quo in hanc deveni so
litudinem. Litteras autem numquam alicubi didi
ci. sed neque psallentem aut legentem
aliquem auscultavi. Sermo autem dei vivus
et efficax est: intellectum intrinsecus docens
humanum. Hucusque finis eorum que mea sunt.
Hunc autem obsecrans queso te per incar
nacionem verbi dei: ut ores pro me luxuriosa.
Et cum hec dixisset: cucurrit senex. et
genu flexo se in terram prosternens. cum
lacrimis exclamavit. Benedictus deus
qui facit mirabilia magna solus. glo
riosa et vehementer stupenda. quibus non
est numerus. Benedictus es domine deus: qui
ostendisti mihi quanta largiris timentibus
te. Vere enim non derelinquis querentes te domine.
Illa autem apprehendens senem. non permisit
in finem perfecte prosterni: sed dixit ei hec
que audisti homo. obtestor te per dominum
salvatorem nostrum ihesum christum neminem
dixeris: quo adusque deus de vinculo